



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An Iudex à quo possit statuere terminum ad finiendam appellationem: & quinam præterea possint terminum præfigere ad prosequendam appellationem, vel jure statutum abbreviare: & an etiam possint ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

lis illa appellatio fuerit extrajudicialis. ut patet ex *Clement. Sicut 3. h. t.* cum sit eadem utrobique ratio, ne nimium scilicet ad prosequendam appellationem tempus prolongetur, & ne nimium etiam restringatur. Interim tamen, impedito agere, & appellationem prosequi, nec annale nec biennale tempus currit, cum hoc tempus ad prosequendam appellationem remedium sui juris defendendi, utile appellanti esse debeat.

§. IV.

An Index à quo possit statuere terminum ad finiendam appellationem: Et quoniam præterea possint terminum præfixi ad prosequendam appellationem, vel iure statutum abbreviare: Et an etiam possint eandem prorogare?

Judex à quo non potest terminum statuere intra quæ causa appellationis finiri debeat, cum non possit legem aut terminum præscribere Superiori, ad quem appellatum fuit, ad expediendam appellationem *c. Ex insinuatione 50. h. t.* & hinc si Judex à quo terminum præfixit ad expediendam appellationem, aliud non voluisse censeatur, quam ut intra præfixum ab ipso terminum in tribunali Judicis, ad quem appellatio insinuetur, & appellans coram eo appellationem suam prosequatur, quod facere posse ex dictis jam patet. Non tamen Judex ad quem terminum à jure statutum, ad prosequendam appellationem moderari, seu abbreviare potest, sicuti potest à quo, nisi ex nimia dilatione sequeretur Reipublicæ damnum, aut animæ; cum enim per appellationem interpositam Judici

à quo præjudicium aliquod generetur, in quantum illius executio suspenditur, nullum autem præjudicium patitur Judex ad quem, consequenter plus conceditur Judici à quo, ad statuendam appellationis introductionem & prosecutionem, ne nimium illi præjudicetur quam Judici ad quem: & quamvis ipsi etiam appellanti terminum sibi statuere concedatur, *in c. Personas. 4. h. t.* ad prosequendam appellationem, restringi tamen hunc posse, si nimis prolixus sit à Judice à quo, ex eodem capitulo patet. Prorogare autem extendere terminum à jure statutum ad prosequendam & finiendam appellationem, neque Judex alteruter potest, neque pars appellans, prout expressè deciditur *in c. Oblata. 57. h. t.* & *Gloss. Magna etiam in Notat. advertit*, ne lites nimium protrahantur.

§. V.

Quoniam præterea jure Canonico statuta sunt circa prosecutionem appellationis?

PRIMÒ statuitur *in c. Sapè 44. h. t.* quòd, si appellatio à Judice à quo recepta sit, & à parte adversa approbata, in termino tamen, à Judice à quo ad prosequendam appellationem præfixo, non compareat appellans, aut appellatus, contra absentem tanquam contumacem procedi possit, eò quòd terminus præfixus vim peremptorij termini habeat, qui maliciosè neglectus contumacem constituit.

Secundò statuitur *in c. Oblata 57. h. t.* quòd si à Judice à quo, vel ab appellante terminus præfixus sit, ad prosequendam appella-